

Circa illum complentque canes ululatibus auras,  
 Et nymphæ lacrymantur Creades: ipsaque Cypris  
 Sparsa comas, solis mœrens in saltibus errat,  
 Errat inops ac nuda pedes: rubus asper euntēm  
 Vulnerat, & sacro depastus sanguine rorat.  
 Fertur at illa tamen per longas anxia valles  
 Assyriumque vocans sponsum puerumque requirens.  
 Huic autem saliens patulo de vulnere sanguis  
 Pube tenus, pectusque alte foedavit & ima  
 Ilia: costarum candardia texta tubescunt. (res.)  
 : Heu miseram, heu Cyprin; lugubre queruntur Amo-  
 Formosum simul illa virum, simul oris honorem  
 Amisit: formosa fuit, dum vixit Adonis;  
 Forma Deæ periit, simul ac ipse occidit. heu, heu!  
 Heu repetunt juga cuncta, heu moto vertice quercus.  
 Et fluvii Veneris luctum flent tristibus undis,  
 Et fontes lacrymantur Adonin montibus altis.  
 En flores luctu rubuere; omnesque querelis  
 Flebilibus Cypris valles implevit & urbes.

Heu miseram, heu Cyprin; periit formosus Adonis:  
 Echo & respondet; periit formosus Adonis.  
 Quis dirum non ploret amorem Cypridis? heu, heu!  
 Ut vulnus vidit crudele, ut Adonidis atrum  
 Purpurea aspexit circum latera ima cruentum,  
 Brachia pretendens flendo clamavit: Adoni,  
 O, mane, Adoni miser; supremum ut perdita visam,  
 Complectarque ulnis, jungamque labella labellis!  
 Evigila paullisper, Adoni; extremaque fige  
 Oscula: dum vivunt, delibans oscula fige  
 Usque mihi. donec, si quis super halitus errat,  
 Ore legam fugientem, & dulcem tristis amorem  
 Exsugamque bibamque. Extrema hæc oscula semper